



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. 2. An pecuniâ corruptus sit testis idoneus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

venire in negotiis ibi interdictis Regularibus, ut dicemus tit. 50.

## §. 2.

*An pecuniâ corruptus sit testis idoneus?*

1537. **T**Estis, cui pro actu testificandi pecunia, vel æquivalens datum, vel promissum est, censetur corruptus, hoc est, conductus, ut falsum testetur, ut diximus n. 1528. Hinc ejusmodi testis vel à parte adversa, vel Judice ex officio rejici potest, ac testimonium ejus non valet, *c. 1. h. t. ibi: testes ad testimonium dandum non conducantur pretio; & c. 8. eod.* sed hic sermo est solum de presis paupertate; paupertas autem non est causa sufficiens repellendi testem à testimonio, si alias est persona honesta, V. Vivianum Tom. I. communium opinionum, l. 4. tit. 10. n. 136. pag. 527. & n. 417. pag. 563. quamvis paupertas faciat, ut quis non sit omni exceptione major; Rota in Ferentina Bubalarum 4. Julii 1618. coram bon. mem. Buratto, inter ejus decisiones impress. decis. 349. n. 1. & decis. 444. n. 1. apud Farinacium p. 1. recentiorum. & c. fin. 14. q. 5. ubi ex D. Augustino dicitur: *Judex non debet vendere justum judicium, aut testis verum testimonium; quia vendit Advocatus justum patrocinium, Jurisperitus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur: isti ex una parte consistunt. Cum autem judicia, & testimonia, que nec justa, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur: multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam, quamvis à volentibus, datur. id, quod etiam habetur L. 3. §. Lege Julia, ff. de testib.* Et ideo sententia per corruptorum testium depositiones lata, retractari debet, *L. Divus, ff. de re judicat. & ibi Bartolus à n. 1.*

1538. Hæc conclusio procedit. 1. in teste corrupto, etiam ut verum deponat, *c. fin. 14. q. 5. cit. 2.* in corrupto, ut non ferat testimonium, *L. 1. ff. ad Leg. Juliam, de falsis, L. 3. §. Lege Julia, ff. h. t.* excipe, nisi deponat contra corruptentem. 3. in corrupto precibus, favore, amore, metu, ut falsum deponat,

*c. 5. h. t.* ubi Eugenius III. præscribens, quales esse, & qualiter jurare debeant, qui super consanguinitate deponunt, ita loquitur: quoties aliqui propter cognitionem propinquitatis separari petuntur: duobus vel tribus testibus adhibitis, qui de eadem consanguinitate supersint, vel totidem senioribus, & melioribus loci ejusdem id debet legitime comprobari: *probatio autem testium debet fieri duplici juramento, ut jurent se non privato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo, quod habuerint, vel quod habent, vel habituri sint ad hoc jurandum inductos:* & sicut ipsi dicunt, rei veritatem accepisse à majoribus suis, & credere ita esse.

Ex quo sequitur 1. qui ex testimonio dato, vel dando, commodum; aut non dato, vel non dando damnum recipit, non esse testem idoneum; intellige, si ex eo directe moveatur; dicitur enim tunc deponere in propria causa ex *L. 1. ff. quando appellandum, ibi: palam est, eam esse propriam causam, cujus emolumentum, aut damnum ad aliquem suo nomine pertinet;* de quo etiam plura tractantur in *c. si testes, 4. q. 2.* Nec obstat, quòd commoda Universitatis quodammodo etiam participant singuli; istud enim interesse, seu commodi participatio, non censetur esse tanta, ut in causis civilibus, præsertim non arduis, testimonium repelli possit; quia verisimile non est, quòd propter commodum universitatis aliquis, maxime si Religiosus sit, aut Clericus bonæ vitæ, pejerare velit; cum negligi plerumque soleant, quæ communiter possidentur, *L. 2. C. quando, & quibus quarta pars & c. sic Felinus in c. insuper, 6. h. t. n. 2.*

## §. 3.

*An infames sint testes idonei?*

**A**Nte resolut. not. idem esse, testes legitimos, & omni exceptione majores. dicuntur autem legitimi, qui habent qualitates per leges requisitas; dicuntur omni exceptione majores, qui nullâ exceptione legitimâ, & juridicè repelli possunt. Jus enim plures statuit exceptiones, ob quas testimonium aliquis